



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Cautio in Sacerdote ministrante. Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

dum tempore totus ab Ecclesiæ conuentu penitus abstineret, eiusque stationes planè desereret: immò verò contrà perspici possit, crebrius, ardentiorique diuinæ caritatis studio, quàm antea consueuerat, Ecclesias frequentare: ob eam causam Magistratus diligenter videbit, ut ne quarantena, quam dicunt, lege, illum vniuersum domo exire prohibeat, quò fiat, ut diutius, quàm religionis pietas postulet, officia prætermittat, quæ in Ecclesia Deo præstare debet. Nã ut silentio prætereantur difficultates, incommoda, detrimenta, damna, mala, quæ inde multa Reipublice gubernationi euenire possent, cauendum etiam maximè est, nè, cum populi multitudo sanctarum ceremoniarum, quæ oculorum aspectu cernuntur, vsu, & ritu, ad pietatis studium incendatur, si domi reclusa, aliquamdiù ad Ecclesiam non conueniat, magna ex parte religionis officia non modo in ea inculta sint, sed planè deflorescant. Qua quidem ex re longè grauior pernicies pertimescenda est, quam ex omni vel funestissima pestilentia.

21 Quare Magistratus de quarantena diligenter, accuratè, & piè in primis, etiam atque etiam videbit, matura deliberatione, & re omni cù Episcopo communicata, ut non minùs animarum pesti, quàm corporum contagioni, quæ infinitis partibus inferior est, rectè prospiciatur.


22 Quòd si aliquando indicetur, illud maximè præuidendum erit, nè in Aduentum, Quadragesimam, solemnitates Domini, sacraque alia tempora incidat, quibus pro sacrosancta diuinorum officiorum celebritate populi fidelis conuentus in Ecclesia, & frequens, & solemnis itidem esse debet, ut solemnia sacra sunt, quæ ex spiritus sancti doctrina, religiosi cõrimonijs, diuinoque ritu celebrantur.

23 Ea præterea ratio ineunda erit, ut speciatim, potius, quàm vniuersè, & in summa instanti necessitate quarantena fiat; ità ut vel sæmiæ solùm cum pueris, uel aliquando uiri, uel unius vicinie tantum, quæ grauius è suspitione laborat, homines certo illo temporis spatio, eoque nõ diuturniori domi se contineant.

Cautio in Sacerdote ministrante. Cap. XV.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochus. ¶ in suspitionem pestis incidens, quam adhibeat cautio-
Sacerdos. ¶ nem.
- 2 Quæ item adhibenda cautio in audienda confessione, ministranda Eucharistia, & Sacramentis alijs in pestilentie suspitionem incidentibus. 3.
- 3 Sacerdotum plurium deputatio, ministeriorumque inter eos diuisio.
Si

1  I Parochus ob aliam causam, quàm ob ministerij sui Parochialis occasionem in pestis suspitione inciderit, plures sanè dies domi se continebit, quot scilicet pro suspitionis ratione Episcopus boni publici causa stauerit. Quod verò ad ministeria Parochialibus suis præstanda attinet, ea ipsa ratio seruabitur quæ Parocho supra propo-

sita est, si quando ministerij sui occasione in suspitionem incidit.

2 Idem Parochus, aliusue Sacerdos, qui peste laborantium curam gerit, quoties hominem sibi commissum habet, qui in pestilentiam, suspitione uè inciderit, vt & nullo loco officijs desit, quæ in eum conferre debet, & quàm cautissimè potest, omne periculum euitet, vbi se ad Dei voluntatem totum accommodarit, deliberationemque susceperit mortis in singulas horas obeundæ, vt animabus sibi in curam traditis, ad salutem proficit: præsidium verò incolumitatis suæ in Dei potissimum custodia posuerit; has etiam cautiones adhibere poterit.

Vt si quando hominis peste affecti, suspectiue confessionem audit, loco audiat, qui aliquantulum à lecto distet.

Cùm verò sine magno illius in commodo id fieri potest, curet licet, vt ad fenestram, aut ostium, aut in porticum, vestibulumve, aut ad impluuium, aliumve locum apertum accedat, vbi illum consententè audiat, vt cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri solet.

Vt eadem cautione in sanctissimæ Eucharistiæ ministracione vtatur.

Vt alijs remedijs se præmuniat, quæ religiosorum hominum in primis consilio probata, medicorū iudicio vim aliquam repellendæ contagionis habent.

Vt dùm intrà septa curationis publicæ sunt, vestes contractiores, aut ità succintas, quæ infrà genua vix protendant, adhibeat.

Vt in ijs ministracionibus non pluuiali, sed solum superpelliceo, & stola vtatur.

Sacræ hostiæ particulam vnâ, aut plures, quæ ad communicantium vsum tunc satis erunt, ferre poterit: nec verò aliam prætereà, quæ de more reportetur, dùm ad Ecclesiam, capellamue redit.

At verò in omni sacramento, multòque magis in sanctissima Eucharistia ministranda, cauebit, vt euitandi periculi, vel suspitionis causâ, nè quid vel minimum, quod nociuū sit, administracionis ritum introducat; neue instrumentum, aliudve quid simile ad ministracionem pro digitis, vel adeò in ijs ipsis adhibeat.

Extrà domicilij ianuam, aut tuguriorum septa eos consistere iubebit, qui sanctissimum sacramentum luminibus prosequuntur, Clerico excepto.

Quorum

Quorum luminum loco aliqua, si fieri potest, per eos accendi mandet, qui intra illud domicilium, eave septa habitant, cum iam suspecti sint.

Sacerdotes, precepti curationi spirituali hospitalis domus, alteriusve loco, ubi morbo infecti, suspectiue curantur, abstinere ab omni vel consuetudine, vel alio contrahende contagionis periculo, quod aliunde existere possit, quam ex sacris functionibus, & ministerijs, & alijs caritatis officijs, que prestanda susceperunt.

3 Eorum Sacerdotum, si plures sunt, vnus deligetur, qui egrotis sacram communionem prebeat, ceteraque ministeria prebet, quibus obeundis propius accedat necesse est: at vero plures etiam pro multitudine egrotorum; alius autem, qui peste suspectis curam, operamque suam in ijs ipsis ministerijs nauet; alius minus suspectis, & conualescentibus, custodibusve, & famulis, ceterisque ministrabit, qui a suspitione liberi, in hospitalis domus, aut loci tuguriorum finibus extra septa degunt.

In sacramento autem poenitentiae ministrando; in sacra concione habenda; in doctrina Christiana tradenda; & alijs functionibus, quibus prestandis ad eos peste, vel affectos, vel suspectos appropinquare non est necesse, vnus, & item alter vicissim, prout inter se conuenerint, aut prout Episcopus maluerit, operam suam, curamque non egrotis solum, suspectisue nauare poterit; sed ceteris etiam, atque adeo illis, qui recte valentes, extra tuguriorum fines collocati constitutiue sunt ad locorum eorum custodiam, vsum, & famulatum.

Cum eorum Sacerdotum vnus egrotis curam, ministeriumque nauat, alter ijs, qui tantum in suspectis habentur; caute etiam ijs ambo mutua inter se consuetudine videntur; ne praesuspitione fideles a suscipiendo eorum ministerio auertantur. Atque si in ijsdem domicilijs habitant, eorum tamen commercium aliquo interuallo distinctum erit.

Eorum vnusquisque ad Missae sacrificij vsum distinctas sacras vestes, mappas Altaris, distinctosue etiam calices, si fieri potest, habebunt.

In capellis quoque Altaribusue distinctis celebrabunt.

Si vero vna tantum Capella est, vnumue Altare, ne vnus alterius indumenta, mappasue adhibeat, tangatue.

Si aliquando, vel in Missae sacrificio, vel in sanctissimae eucharistiae ministracione, cum Clericus desit, qui ministret, alter alteri ministrare necesse habet; vtriusque cautio eadem erit.